

sis * quod diceris. *Po.* Ne me vincas officio, precor ne Cannium unquam destituat unde cognomen sortitus est.

Quod diceris] *Germani siquidem trullam vinariam, eine Kanne vocant.*

Ἀπρὸσδιόνοσσα, sive absurda.

ANNIUS, LEUCIUS.

An. **A**udio, tu interfuisse nuptiis Pancratii & Albinæ. *Le.* Nunquam antehac infelicius navigavi, quam hoc tempore. *An.* Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? *Le.* Nec unquam mihi vilior fuit vita, quam id temporis. *An.* Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci convenirent, idque tenues. *Le.* Vix fueramus ingressi pelagus, ortus est ingens turbo. *An.* Narras deorum coetum. Totne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? *Le.* Boreas dissecuit velum, dissectumque dissipavit. *An.* Desponsam novi. Nihil fingi potest venustius. *Le.* Mox fluctus revulsit clavum. *An.* Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, ut ajunt, formæ gratia. *Le.* Quid animi censes nobis illic fuisse? *An.* Sane rarum nunc est virgines nubere. *Le.* Remigandum nobis erat. *An.* Dotem vix credibilem narras. *Le.* Ecce mox aliud malum. *An.* Cur puellam impuberem commiserunt tam feroci? *Le.* Apparuit piratarum navis. *An.* Profecto sic est; in multis nequitia supplet ætatem. *Le.* Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari, alterum cum prædonibus. *An.* Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat festucā. *Le.* Quid? cederemus? Imo desperatio vitæ addebat animos.

mos.